Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 253
Quelle:
Copyright:

lum S. Marie inſcribi voluit, quamque praeeunt Epiſtola Fratrum ad Solitarium et Solitarii Reſponſio, ut in *Bibl. PP. Lugd.* T. XX. p. 1217. et nobis *Cod.* praeced. Verum in *Cod.* praeſenti ſubjecta eſt eadem manu Expoſitio *Verſ.* 18. III. *Reg.* c. 10. *Fecit rex ſalomon Thronum de ebore* &c. tota itidem Deiparae adaptata, et *Honorium* ſapiens, quamvis is in *Regum Libros* commentatus fuiſſe non legatur. Initium: *Salomon exprimit chriſtum tum nominis interpretatione tum operum celebratione.* Finis: *Ipſa — deprecatur dominum pro ſeruis. filium pro filiis. ſed naturalem pro adoptiuis. Amen.*

II. *fol.* 15. Locus duplex. Prior: *Multi ſunt, qui portant crucem* &c. agit de Diverſis non eodem eventu crucem portantibus. Alter: *Quatuor ſunt cruces diuerſa meritorum ſtipendia expectantes* &c. de Cruce Chriſti, Latronis dextri, et ſiniſtri et Simonis Cyrenaei breviter tractat.

III. *fol.* 17. *Epiſtola Bachiarii ad Januarium.* Addunt Edita in *Orthodoxogr.* et *Bibliothecis PP.* ut *Lugd.* T. VI. p. 1174. *De recipiendis Lapſis;* agitur enim de Monacho, qui ſacram Virginem vitiaverat. Initium: *Benedicto in chriſto fratri. omni mihi in fide et dilectione uenerabili Januario. Bachiarius peccator. Niſi uererer beatiſſime frater. ne inter ſimulatos amicos iob mihi poneretur portio* &c. Parum variat ab Editis Codex, niſi quod mox a principio pro *obturato linguae ſibilo* legit *obturata lingue fiſtula,* et omiſſo *in Domino noſtro Jeſu Chriſto* finit: *interuenire merearis. Amen.* Autorem Seculo V. et *Britanniae* aut *Hiberniae* adſignarunt Omnes ante *L. A. Muratorium.* Edidit hic inter *Anecdota Bibl. Ambroſ. T. II. Mediol.* 1698. p. 9. 4. *Bachiarii* noſtri *Fidem* ſeu *Apologiam,* quae in *Guil. Cave Hiſtoriae lit.* etiam noviſſ. Edit. *Baſil.* 1741. T. I. p. 430. interiiſſe dicitur. In eruditis porro *Prolegomenis Bachiarii* aevum ad Sec. IV. retrahit finem, eumque *Britannis* aufert eo ſolum nixus argumento, quod in hac *Apologia* a labe *Pelagiana* ſe non purget.

IV. *fol.* 25. *Incipit epiſtola Petri Damiani.* In edit. Opp. *Pariſ.* 1664. f. *Opuſculum* eſt XIX. p. 184. inſcribiturque *de Abdicatione Epiſcopatus,* quam bona Pontificis venia meditabatur Autor. Pontificem hunc Codex *Alexandrum* vocat; ita enim orditur: *Domino Alexandro* (II.) *uniuerſali pape. Petrus peccator monachus ſeruitutem. Sacrarium ſpiritus ſancti ueſtrum pectus agnoſcitur* &c. ſed rectius Edita *Nicolaum* II. ponunt; mox enim ab exordio *Petrus* ait: *poſt ſancte memorie domini Stephani ueſtri quidem deceſſoris mei autem preceptoris obitum* &c. atqui *Stephanus* IX. non *Alexandri* ſed *Nicolai* deceſſor fuit.

V. *fol.* 34. p. 2. *Sermo ſancti Ambroſii epiſcopi de dignitate ſacerdotum ad Theodorum ſubdyaconum.* Quid ſibi velit hic *Theodorus*, ignoro; Sermo enim ad omnes Epiſcopos et Sacerdotes diri-